

omnes Consiliarii status, tam Ecclesiastici, quam Laici; & ex Parliamenti Baronibus illi quos Princeps advocabit; Duo Capitales Banconum Iustitiarii, vel ipsis absentibus, alii duo Iustitiarii. Officiarii autem sunt, Clericus Consiliarii, Clericus Brevium, & processus consilii in Camera Stellata, &c. Causaeque hic non per Pares secundum legem nostram Communem, sed ad formulam Iuris Civilis ventilantur.

Curiam Wardorum & Liberationum, quæ à pupilis, quorum causas tractat, nomen habet, Henricus Octavus primus instituit: cum superioribus temporibus eorum causæ in Cancellaria, & Scacario audirentur. Veteri enim instituto è Normannia deducto, & non ab Henrico Tertio, (ut aliqui scribunt,) cum quis defunctus sit, qui possessiones à Rege in Capite per servitium Militare tenuet, tam hæres, quam ejus patrimonium, redditusque in Regis potestate, & tutela sunt, donec alterum & vigesimum ætatis annum compleverit, & tunc ei per rescriptum Regis redhibentur. In hac Magister Generalis judicat. Subsunt autem Supervisor Liberationum, Attornatus Generalis, Receptor Generalis, Auditor, Clericus Liberationum, Clericus Curiae, Feodarii quadranginta, & Tabellarius.

Enatae sunt etiam posteris temporibus duæ aliæ Curiæ, vñ. Errorum corrigendorum, quarum prima pro Erroribus in Curia Scaccarii, alia pro Erroribus in Curia Banci Regis commissis emendandis. Illius sunt Iudices Cancellarius, & Thesaurarius Angliae, adscitis sibi aliis quos velint Regis Iustitiarii; istius vero Iusticiarii communis Banci, & Barones Scacciarii.

Admirallii Curia res maritimas tractat. In hac numerantur Admiralius Angliae, Locum-tenens, & Index, Scribe duo, Serviens Curia, Viceadmiralius Angliae. Nunc ad foræ æquitatis.

Cancellaria à Cancellario nomen traxit, quod nomen sub priscis Imperatoribus non adeo magnæ dignitatis fuisse ex Vopisco docemur. Nunc autem honoris est maximi, & in summum togatæ dignitatis fastigium evecti sunt Cancellarii. Quorum nomen Cassiodorus à Cancellis repetit, quod intra secreta cancellorum septis clausa, causas examinarunt. Respicere, inquit ille, quo nomine nuncuperas, Latere non potest quod intra cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas januas. Vnde plane constat Cancellarium intra Cancellos undique conspicuum sedisse, ut inde nomen accepisse videatur. Verum cum ejus esset qui Principis quasi os, oculus, aurisque erat, rescripta & decreta contra jus, vel Rempub. imperata transversis lineis cancellatim inducere, quod non improprie Cancellare dixerunt, ab hac Cancellatione nonnulli Cancellarii nomen deductum opinantur, & in recentiori Glossario legitur. Cancellarius est qui habet officium scripta responsaque Imperatoris, atque mandata inspicere, male scripta cancellare, & bene scripta signare. Nec verum est quod Polydorus Virgilius tradit, Guilielmum Conquerorem instituisse scribarum collegium qui diplomata scriberent, & ejus Collegii Magistrum Cancellarium nominasse, cum Cancellarios fuissent in Anglia ante Normannorum victoriam planum sit & perspicuum. Quanta hodie Cancellarii sit dignitas, & authoritas, notius est quam ut ego explicem, quanta olim fuerit libet uno & altero verbo ex

authore satis vetusto hic adjicere. Cancellarii Angliae dignitas est ut secundus à Rege in regno habeatur, ut altera parte sigilli regii quod à ejus pertinet custodiam, propria signat mandata, ut capella Regis in ipsius sit dispositione & cura, ut vacantes Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, & Baronias cadentes in manum Regis ipse suscipiat, & conservet, ut omnibus regiis adsit consilii, etiam non vocatus accedat, ut omnia signififeri Clerici

regii sui manu signentur, omnia Cancellarii consilio disponantur. Item ut suffragantibus ei per Dei gratiam vitæ meritis, non moriatur nisi Archiepiscopus, vel Episcopus,

si voluerit; inde est quod Cancellaria emenda non est. Forma Cancellarium constituendi (& hanc annota-

re lubet) regnante Henrico Secundo fuit ap-

pendendo magnum Angliae sigillum ad collum Maps.

Cancellarii electi. Henrici autem Sexti tempo-

re hujusmodi erat, ut ex Archivis adnotem. Cum

Cancellarius Angliae diem obierit, Tria magna signa Regis

unum scilicet de auro, ac alia duo de argento, quæ fue-

runt in custodia Cancellarii, statim à morte in cistam li-

gneam ferratam reponuntur, & signis procerum qui pra-

entes fuerint consignata in Thesaurariam deferuntur.

Inde ad Regem perferuntur, qui illa futuro Cancellario

subeunti onera executionis officii Cancellariatus, capto sa-

cramento, de bene & fideliter exercendo, primum magnum

sigillum de Argento, deinde Aureum, & alterum Argen-

teum in manus tradit in frequenti nobilium presentia, qui

illa accipiens in cistam reponit, & suo signo signatam do-

mum suum defert, & in presentia aliquot nobilium Paten-

tes & Brevia Regis signari facit. Cum Cancellarius exo-

natur, tria illa signa in presentia procerum primum ma-

grum signum Aureum, aliud signum Argenteum de ma-

gna forma, & aliud de minori Regi in manus tradit. Ho-

die tamen unum solummodo Cancellario tradi-

tur signum, nec nisi Henrico Sexto regnante,

horum trium signorum uspiam fit mentio. Huic

Cancellarii muneri temporis decursu plurimum

authoritatis, & dignitatis ex editis Parlamen-

tariis accessit, maxime ex quo causidici stricta ra-

tione ita juris apicibus inhærent, & verborum

ponerent tendiculas ut forum æqui necessario

fuerit instituendum, quod Cancellario commis-

suum, qui ex æquo & bono judicaret & summu-

mus, quod summa crux videri soleat, temperaret.

Hic vero præsidet Dominus Cancellarius Angliae, assi-

dent Magistri Cancellarii duodecim, quorum primus

est etiam Chartophylax five Custos Rotulorum

eiusdem Curiæ, & inde Magister Rotulorum nun-

cupatur. Pertinentque ad hanc Curiam Officia-

rii permulti, quorum aliqui signo Regis præci-

pue inserviunt, scz. Clericus Coronæ, Clericus Hanape-

rii, Sigillator, Ceræ minister, Contrarotulator, Hanaperii,

Curfista viginti quatuor, Clericus ad Brevia de Sub fæna:

Alii querelis præcipue ibidem exhibitis, sicut

Protonotarius, sex Clerici, five Attornati Curie, Regis-

strarius. Sunt etiam ibidem Clerici parva Bagetres, Cle-

ricus Presentationum, Clericus ad facultates, Clericus ad

examinationem literarum Patentium, Clericus pro di-

missionibus, &c.

Est & alia Curia è privato Regis consilio ena-

ta, Curia Requisitionum, five Requetiarum, à libellis

supplicum dicta, quæ causas audit ut in Cancella-

ria inter privatos, sed quæ prius principi, vel ejus

consilio privato oblatæ & etiam alias. In hac

sunt Magistri Requisitionum, five à supplicum libel-

lis aliquot, & Clericus, five Registrarius, & Attornati

*Curia Re-
questiarum.*